





HONORI ET FELICITATI NUPTIARUM

PAULI HELVVICHII  
Hohenst. Civis & Bibliopolæ VVitteberg.  
Ornatissimi,

ET

MARIÆ PHILIPPI OLEARII,  
Civis ibidem honestissimi Filix,  
Virginis:

*Calendis Novembris celebratarum  
VVittebergæ.*



Typis VVolffgangi Meisneri.

ANNO Christiano clō. lcc. viii.



25. LIX

HONORATIS  
ACADEMIAE

PAULI  
MAGISTRI

MARIA PHILIPPI OLEARI

ANNO

MDCCCLXXV

Anno Domini





# AD SPONSUM

Popularem.

**V**ota secunda facis; tua Vota secunda secundet  
CHRISTUS, uti verè vota secunda fient.  
Voti hæc summa boni; sed vos superaddite plura  
Quis plus est Otii plus genijq; sat est.

Joh. Försterus D. & PP. p. t. Acad.  
Rector.

A L I U D.

**A**ltor conjugij, sponsis, DEUS alme, favero,  
Confirmaq; novi numine jura thori:  
Accende illorum felicia sidera cœptis,  
Atq; rege, atq; auge prosperitate domum.  
Christe, ut eras gratus Cananæis hospes in agris,  
Miro dans sponsis dulcia vina modo:  
Sicq; novis adsis, des dona simillima tædis,  
Mutans in lætum tristia quæq; statum.  
Nec non *πνεῦμα* DEI, castum quod cordibus ignem  
Suggeris, efficiens velle duobus idem:

A 2

Adsis,

Adsis, inq; horum flammæ incendia corde,  
Suscita, ut has tædas mutuus ardor alat.  
Absint Eumenides, absit dissensio cordis,  
Adsint pacis opes, adsit amoris opus:  
Et velut unanimes, ceu bile alienus ab omni,  
Vitam cum socio Turture Turtur agit:  
Hæc sic sponsa suo sit sola adstricta marito,  
Sic flagret sponsæ sponsus amore suæ.  
Et ceu se patula vitis sustentat in ulmo,  
Ulmus & impositum gestat amanter onus:  
Sic sius uxori vir adhæreat, ipsa marito,  
Suaviter alterius portet & alter onus.  
Et sic Nestoreos placidè vivatur ad annos,  
Sentiât & placidas tota propago vices.

*Jacobi Martini, p. t. Decani*  
*Fac. Phil.*

A L I U D.

A T tu, (sit modus) inficetiorum  
Chartarum sat habes tua taberna.  
Jucundissime Paule, nuptiali  
Nostra ne sit opus tibi papyro.  
Has ajo Volusi, Tanusi q;

Char-

Chartas, Artocreaq; & Vtricelli:  
Quas Petroniades solutus inter  
Nitendum legat, & relet, unde  
Messes Assyria exfulant opimæ.  
Quæ si non tibi sunt sat, obtuenti  
Olim Flavius ore quo solebat:  
Quantum commoditatis hac papyri  
Tam parvæ tenuisq; futilisq;  
Quæ so allegeris evolutione?

*Adamus Th. Siberus Orat. P.*

A L I U D.

*E*RGo ad Vota secunda, PAULÉ, transis,  
Postquam prima suum fidere pactum?  
Primum Carmine non-Professor olim  
Recordor celebrare: nunc Professor  
Secundum celebros; sed (ecce) valdè  
Pauxillo: velut Euclionis heres,  
Qui Lari sale tusculoque fecit.

*Pauxillum, at tumidum calore Voti est:*  
*Quod velit Deus estimare magni.*  
*Ut, que Vota paras secunda, PAULÉ,*  
*Sic sint usque tuis secunda votis,*  
*Ut sit nulla cupido TERTIORUM.*

*Frid. Taubmanus.*

*ALIUD*

A L I U D.

Sic amat alternis vitam post funera, risum  
 Post lacrimas, post fel mel dare DEUS.  
 Ereptam satis eluxti jam Paule maritam:  
 Nunc Sponsæ exulta lætus amore novæ.

*Johannes VVanckelius.*

A L I U D.

Vulnerat & sanat Dominus; *benè utrumq; operatur.*

*Nam bonus & sapiens, qui benè cuncta facit.*  
*Nonne ita, SPONSE? tibi nè Deus moriente marito*  
*Inflixit vulnus cordis ad usq; snum?*  
*Heu dolor! heu vulnus, vix tum sanabile visum:*  
 Cordis enim vulnus vix medicamen habet.  
*Sed, (cœptum ô benè,) nunc rectû medicamen adeptus*  
 Gaudes, & solvis debita vota DEO.  
*Gaudemus tecum, tecum celebramus JOVAM,*  
 Optantes quævis prospera, Sponse, tibi.  
*Namq; tuum in thalamum ingreditur Sponsa,*  
 optima Sponsa,  
 Optima erit veteris quæ medicina mali.  
*Huic vive, atq; DEO: sic votum explebitur horis*  
 Omnibus omne tuum: *Vive DEO atq; Tuæ.*  
 M. Elias Ursinus, Delitianus.



A L I U D.

Quod quondam æmulus acrior MELISSI,  
 Magni scilicet illius Melissi,  
 TAUBMANUS Clariæ decus Catervæ,  
 Qui Musas colit omnibus dearum  
 Modis omnibus elegantiores;  
 Immò quidquid & elegantiorum  
 Elegantius elegantiarum est,  
 SCHÜRERO brevibus metris vovebat:  
 Hoc idem voveo brevi Phaleuco  
 HELVICHII, sator acrior librorum,  
 Multorum sator immò liberorum.

Quidnam? *Conjugium precor Marito*  
 Felix: Conjugium precor Maritæ  
 Immò Conjugium precor MARIÆ  
 Felix: auspicio bono ut Mariti  
 Mutuis animis ament; amoris  
 Prodant signaq; liberos, maritos  
 Uti concedet esse conjugatos.

Hæc sunt, quæ volui, immò quæ valebam:  
 Hæc sunt, quæ voluit vovere quondam  
 TAUBMANUS Clariæ decus cohortis,  
 Quiq; iudice Phœbo & univèrsis

Phœbi

Phœbi Vatibus, in probâ Poësi  
Vnus omnibus omnia est POËTA.

*M. Ioannes VVilkofer Ratisbonensis.*

A L I U D.

Sunt aliquid nitidæ gemmæ, Nyfæus Hydaspes  
Quas exspuit; grana aurea  
Tagi & purpurei; domus

Tænareis profunt suffultæ rite columnis;  
Ornantq; lænæ murice  
Ardentes Tyrio: vxor his

Sed præstat, cuius virtutum. magna caterva  
Illustrium stipat latus;  
Nimirum tenor optimæ

Sacratæ vitæ tetro sine crimine mores  
Probitas, modestia & pudor,  
Ardescens & amor Dei.

Ergo cum tali & Sponsâ sis, Sponse, potitus;  
Tremat tuum cor gaudio  
Ingenti; & velut adsolet

Vlmum complecti vitis, Conchæ atq; coherent  
Juncto ote: fixa sic tua  
Sint labris labra Sponsulæ.

A vestro thalamo discedat ad vltima Bactra  
Erinnys, atrum toxicum  
Castis mentibus inferens,

Ad Scythicos abeant fines nigra jurgia, & iræ;  
Pax aurea & vestro advolet  
Alis suavisonis toro.

Nec rabidæ quatiat fortis vos atra procella  
Felicitationis comprecor  
Vnquam de stabili gradu.

Vota mea hæcce ferant rapidi ne flamina Cauri  
Vacuas in auras irrita,  
Da, quæso, Deus optime.

*Martinus Kirchoffius Iessenus Saxo.*

F I N I S.

Be 231.

8

ULB Halle 3  
002 690 756  


56.

VD77







55: LIX. 61

HONORI ET FELICITATI NUPTIARUM

PAULI HELVVICHII

Hohenst. Civis & Bibliopolæ VVitteberg.  
Ornatissimi,

ET

MARIÆ PHILIPPI OLEARII,

Civis ibidem honestissimi Filia,  
Virginis:

*Calendis Novembris celebratarum  
VVittebergæ.*



Typis VVolfgangi Meisneri.

ANNO Christiano cl. lxx. viii.

59